8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SCARLATINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS PARKER CHARLESWORTH,

ANGLUS,

SOCIET. MED. REG. EDIN. SOC. EXTR.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

Admittas timidam brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulæ.

MART. Lib. ii. Ep. 24.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

EDVARDO HARRISON, M. D.

SOCIET. REG. ANTIQ. STUDIOS. SCOT. SOC.

SOCIET. REG. MED. SOC. EXTR. ET OL. PRÆS. ANN.

SOCIET. REG. PHYS. SOC. EXTR. ET OL. PRÆS. ANN.

ET SOCIET. REG. MED. LOND. SOC.

QUI NON MODO

PRO VIRTUTIBUS MEDICI PROPRIIS,

SED ETIAM

PROPTER STRENUOS

PRO BONO REIPUBLICÆ

LABORES RECENTES,

DE CIVIBUS OPTIME MERUIT;

HOC OPUSCULUM,

MULTA OB BENEFICIA IN EUM COLLATA,

GRATO ANIMO,

D. D. DQUE

AUCTOR.

THOMÆ WILSON, M. D

MEDICO ERUDITO ET ORNATO

FAUSTE ARTEM FACIENTI

APUD *GRANTHAM* IN AGRO LINCOLNIENSI,

CUJUS ANTIQUA CUM PATRE

CONSUETUDO

IN ILLUM BENIGNE PORRIGITUR,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS VULT

AUCTOR.

JOHANNI CHARLESWORTH,

COLL. REG. LOND. CHIRURGO,

CUI NIHIL ALIUD

NISI QUOD INGENIO SUPERANTI

ET ANNIS JUNIORIBUS

OPTIMO CONSILIO

CONSUMPTIS

DEBETUR,

IDQUE SATIS,

EXOPTAT

FRATER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

OLIM disputatum erat, et etiam nunc aliquantò, utrum nomina *Scarlatina anginosa* et *Cynanche maligna* ad morbos genere, vel tantùm gradu, diversos referant. Juvenis attamen auctoritates tam validas et tam multas sententiæ postremæ consentientes, invenio, ut dubitare non possum quin doctrinæ hoc tempore acceptæ subscriberem.

HISTORIA.

MEDICORUM antiquorum de hoc morbo silentium occasionem credendi præbet, vel omninò seculis prioribus incognitum esse, vel nunquam formâ præsenti visum. Cùm enim tanta et tam multa exempla diligentis et indefessæ investigationis reliquerunt, morbum hujus momenti eos omisisse ægrè credere possumus. Traditiones vetustissimæ extantes deducuntur medicis quibusdam ex Hispaniâ et Italiâ, qui videntur morbum invenisse in regionibus istis seculo ineunte decimo septimo. Posteà descriptus erat accuratè a medico Saxoniæ. MORTON, medicus seculi decimi septimi, tradidit historiam morbi epidemici horrendi, quem vocat *Measles*, Londini prævalentis A. D. 1689. Accuratè verò annotatis indiciis, et, cùm in istis temporibus hic morbus parùm cognitus erat, medici ævorum sequentium consenserunt sententiâ

quòd

quòd erraverat in morbo appellando, et nomen *Measles* pro Scarlatinâ assumpserat.

Occurrebat etiam Doctori RADCLIFFE, imperante ANNA. Compertum est verò primùm accuratè descriptum esse a FOTHERGILL, A. D. 1748. Circiter idem tempus Dr COTTON eundem morbum comperit apud *Sancti Albani*; et historiæ ejus citissimè supervenit dissertatio admodum laudanda a Doctore HUXHAM, cui apud *Portsmouth* occurrebat. Neque in historiâ persequendâ omittendus est SYDENHAM, cujus descriptio morbi hujus haud ulli secunda est. Hinc verisimile est quòd intra septuaginta annos ultimos hic morbus imprimis formam adeò malignam assumpsit, ut medicis Anglis agnosceretur.

HISTORIA MEDICA.

INDICIA hujus morbi, pro rebus comitantibus, alia ab aliis differunt. Sequentia pro

usitatioribus

usitatioribus habenda sunt, viz. languor, virium disjectio, torpor, animus demissus, rigores intermittentes, et rubores. His paucos dies durantibus, superveniunt dolor et rigiditas musculorum colli, et humerorum gutturi etiam extensa. Hæc gutturis affectio gravior fit, atque huic supervenit deglutitio difficilis, vocisque sonitus raucus. Rigores et rubores evanescunt; deinde cutis fit torrens et arida; anhelitusque ardens, sitis molesta, nausea, vomitus vel diarrhœa, inquietudo, dolor capitis, et respiratio impedita suspiriis intermixta, in locum subeunt.

Vespere appropinquante, ægrotus fit magis fervidus et inquietus. Siti minimè ferendâ opprimitur: nec difficultas deglutitionis illam sedare sinit. Dolor capitis fit acrior, et delirium non raro insequitur, iis præcipuè, qui noctem insomnes ducunt. Alii sunt comatosi et torpidi.

Decedente nocte, sudore modico æger solatium accipit.

Faucibus

Faucibus et gutture hoc tempore vel citiùs inspectis, uvula et tonsillæ tumescere videntur, et, unà cum velo pendulo palati, buccæ internæ juxta fauces et pharynx posterior colore rubro nitido conspiciuntur tinctæ, et eodem colore afficiuntur linguæ margines. Partes eædem plerumque circiter tertium vel quartum diem aphthis plurimis teguntur cineritiis, cingentibus, quasi scabie densâ, ulcera parva, e quibus facillimè exuuntur aphthæ. Ex his partibus mucus copiosiùs defluit; atque dignum est notatu, quòd hæc gutturis repletio parum doloris ægrotis excitat, nec soliciti videntur exspuere.

Intra secundum et octavum diem, plerumque verò tertio vel quarto, facies, collum, sternum et manus usque ad digitos extremos, colore rubro altissimo, locustæ quasi marinæ, tinguntur, citissimè posteà totam corporis superficiem operiente; in exemplis verò perpaucis manus inversas solummodò tegit. Digiti non raró facilitatem ad flexum amittunt; et

et interdùm in extremis oriuntur vesiculæ parvulæ, quæ ruptæ in ulcera minima vertuntur. Pustulæ plurimæ rubri altioris coloris plerumque, non verò semper, in brachiis notantur, et istis partibus, quæ colore communi carent. Morbo, quem WITHERING descripsit, pustulæ non aderant, at cutis florida penitùs lævis erat: notatque ruborem intensum tunicæ conjunctivæ signum quasi delirii appropinquantis.

Tum permagnus accedit tumor glandularum parotidarum et submaxillarium, tactu dolens, et interdum, etiamsi rarissimè, suppuratio supervenit. Hic sensus inducit pharyngis aperturæ coarctationem priùs angustioris redditæ tumore tonsillarum; excitatque tussim interruptum hunc morbum sæpissimè assequentem.

Pulsûs conditio mihi videtur causis iisdem pendere, quibus in Synocham vel Typhum morbi proclivitas pendet.

Validi,

Validi, et quibus prior habitus salubris fuisset, meliùs videntur cùm morbo luctari; et in iis plerumque, incipiente morbo, pulsus est plenus et fortis; posteà fit rapidus, tenuis, et maximè debilis; et apud permultos, (præsertim verò prius viribus confectos, phthisicos, vel modo aliquo debilitatos), sic incipit et usque ad finem progreditur.

Urina quantitate est exigua, nec semper manet visu eadem: interdum minimè impedita, in aliis ægrè reddita: cùm turbida, est signum felix; lucida, tum contrà est.

Infantibus diarrhœa, ævi maturis alvi constipatio, contingere solent.

Suprà notata pro indiciis hujus morbi mitioribus habenda sunt, et spem felicis exitûs promittentibus, cui venturo perspiratio copiosa circiter diem sextum vel nonum præcedit. Eruptio colorem subnigrum gradatìm sumit,

sumit, deindè citò evanescit, et insequitur cutis desquamatio farinaria.

Convalescens adhuc anasarcæ, asciti, vel hydrothoraci obnoxius est; si verò morbus præcedens mitior fuerit, œdema non est difficile curatu.

Indicia reliqua sunt naturæ magis lethalis, videlicet, inclinatio morbi typhosa vel putrida; eruptionis adventus maturior; febris accessio altissima; pulsus frequentissimus, tenuis, debilis, interruptus, undulans; debilitas extrema; delirium atrox, nonnunquam demissum et murmurans; animi dejectio vehemens; vertigo; respiratio difficilis et accelerata; fauces valdè siccæ; labia comminuta et nigra; lingua dura, arida, et coloris altissimi. Halitus fœtidus et horridè putridus, non solùm ministris sed etiam ægroto molestus; aphthæ gutturis crescentes, coloris atri, et gangrænam minitantes; corpus humore glu-

tinoso

tinoso opertum; sedes virides et nigræ spontè abeuntes.

Sic FOTHERGILL descripsit: Sanies e naribus effluens partibus vicinis cutem detrahens, et etiam corporibus ministrantium; afficiens tracheam, excitans peripneumoniam: si deglutiatur, inducens tormina et diarrhœam, exedens œsophagum et intestina, et naribus et ano pellem detrahens.

Sic HUXHAM: Dyspnœa ingravescens, cum stertore crepitante, quasi strangulationis, Hispanicis vocato "*garotillo*."

Pustulæ nigræ vel lividæ, orbiculares, in pectore, genibus et ulnis. Oculi rubri vel vitrei, aperti, intenti quasi sopiti. Fatuitas, sententiis et responsis futilibus ostensa.

Omnibus vel plurimis his indiciis lethalibus mors plerùmque insequitur, aliàs post horas, aliàs dies paucos. Apud quosdam de-

lirium furens, convulsio, vel suffocatio, scenam concludit; alii jacent permultos dies, vel etiam hebdomadas, torpidi et comatosi priusquàm moriantur.

Aspectu gutturis non semper indicatur morbi impetus, cùm exempla evenerint exitûs lethalis, gutture parùm affecto.

Permultis strenuè disputatum est, hunc morbum nunquam eundem bis aggredi: opiniones D^rum GREGORY et MONRO huic sententiæ contrariæ sunt.

DIAGNOSIS.

Cynanche tonsillaris—nonnunquam in accessione valdè similis est scarlatinæ mitiori, et labeculas gutturis producit. Hæc exempla rara sunt; et occurrentia eundem curandi mo-

dum

dum postulant quam scarlatina per dies paucos quibus morbus incertus manet.

Febris petechialis — pustulas habet cutis denticulatas, præcipuè circa collum, dorsum et lumbos. Hisce neque manet color, neque supervenit desquamatio farinarea.

Erysipelas—sedem habet circumscriptam, neque contagionem patitur.

Purpura — habet lenticulas prominentes, quæ compressæ colorem retinent rubrum; eruptio scarlatinæ contrà, compressione admotâ, candorem brevem suscipit.

Variola—in hoc morbo pressuræ regionis epigastricæ dolor respondet.

Rubeola — neque gutturis exulcerationem producit, neque musculorum colli et humerorum rigiditatem. Nunquam incipiens indiciis

ciis catarrhi usitatis caret, et eruptio pustularum semper plena est.

PROGNOSIS.

Hanc jam propemodùm prænarravi divisione indiciorum in mitiora et acriora. Prognosim oportet potissimùm dijudicare ætate et habitu priori. Adolescentia semper magis quàm pubertas contagioni obnoxia esse videtur, et aggressione acriùs tractatur. In exemplis omnibus debilitatis prægressæ, spes minima salutis habenda est. Morbus, cùm lethum inducat, plerùmque terminatur quinto vel ante diem nonum. Excipiuntur hìc exempla ista quibus coma vel hectica moram diuturnam sed fallacem præbet.

CAUSÆ PRODUCENTES.

Quæcunque inducunt debilitatem, præcipuè anxietas longa, animi dejectio. Causâ eâdem fœminæ, et præsertim puellæ, magis quàm masculi, morbo sunt obnoxiæ; infantes verò minùs biennium natos non tam frequenter aggreditur. Forsan ratio, quare seniores minùs quàm juniores huic morbo obnoxii esse videntur, sit, quià multis ætatis teneræ occurrit morbum, neque his, in ætate provectâ rursùs occurrere potest; unde deceptio.

CAUSA EXCITANS.

Contagio, corpore aliquo exorta morbo simili laborante. Modum operandi hujus causæ nequeo monstrare.

CURATIO.

Hic morbus, nisi aquæ gelidæ affusione præcidatur, non secùs ac aliæ contagiones febriles cursu spontaneo solo terminatur. Ægroti munditiem curare, aëris accessum promovere, tractationi periculosæ prævenire, vires sustentare, victum moderari, symptomata lenire, propensitatem gangrenæ amovere, sunt plerùmque medici opus maximum. Modum ullum ordinatum curandi scarlatinam nequeo monstrare. Curatio formâ morbi specificâ, vel indiciorum præsentium impetu, dirigenda est.

Nobiscum manet remedia diversa enumerare quorum usus probatus fuerit in scarlatinâ curandâ vel oppugnandâ: et operam dabimus res circumstantes monstrare, quibus hæc singula adhibere vel omittere debemus.

Venæsectio admodum cautè admittenda est; in plurimis exemplis enim, præcipuè in lethalibus, etiamsi indicia febrilia impetu violento accesserint, ægrotus citò viribus dejicitur, et posteà moritur debilis in extremum. Hinc necessitas oppugnandi febrem remediis, quæ virium depressionem non afferant diuturnam. Sunt quidem exempla quibus venæsectio est idonea; et hæc nequeo meliùs edocere quàm verbis Doctoris GREGORY ipsis, e prælectione de cynanche malignâ excerptis: "Were I to meet with a patient, who was "young, very plethoric, and with a strong "hard pulse, flushed face, and affected with "delirium or coma, I think I should be tempt-"ed to try bleeding." Idem medicus præclarus præscribit usum hirudinum usque ad septem vel octo, faucibus externis, in exemplis gutturis affectæ acribus. Effectus harum circumscriptus foret, neque habitum afficeret. Nonnulli medici in praxi multùm versati missionem sanguinis non solùm topicam sed etiam generalem suadent, quando in hoc morbo

bo

bo calor corporis valdè augetur, cum pulsu celeri et duro, præsertim si adsit tumor notabilis glandularum submaxillarium. In his casibus, ut illi affirmant, mittatur sanguis haud sine fructu.

Emetica—imprimis intra diem unum post morbi aggressionem exhibita, sunt utilia, morbi impetum levando ; et nonnunquam ad finem producunt. Etiamsi usus neglectus fuerit usque ad morbi gradum magis provectum, adhuc momenti est maximi ventriculum evacuare. Huic proposito infusum florum chamæmeli videtur ante alia inservire.

Cathartica.—Alvum laxatum servare præ cæteris necesse est, et in hoc efficiendo cavendum est purgantia exhibere in effectu mitiora, exemplis exceptis acriora postulantibus. Hæc remedia intempestivè vel nimis abundè exhibita, vires sublevando, exitiosa fiunt.

Contrà

Contra usum catharticorum in scarlatinâ varia objiciuntur. Periculosa a quibusdam habita sunt, quòd vires demittunt; et ab aliis, quòd morbi venenum corpori universo extendunt, per intestinorum superficiem diffundendo. Dissertatio recens Doctoris Jacobi Hamilton videtur clariùs argumentum monstrâsse. Ratio exhibendi ejus non purgando constat, sed alvum moderatè laxando; et huic regulæ obtemperat, non solùm per morbi cursum totum, sed etiam diù post sanitatem revertentem. Hoc modo præsertìm aut occurrit anasarcæ, aut illam amovet, quæ sæpiùs hunc morbum assequitur. Eandem consuetudinem tenet quandò diarrhœa supervenit, et hoc modo ex intestinis evacuando materiem excitantem, diarrhœa citiùs curatur.

Vesicatoria.—De horum usu multùm disputatum est. Videtur utilia esse, si maturiùs adhibeantur: et, si gravia sint symptomata

 phlogistica,

phlogistica, remedia sunt valida et minimè omittenda.

Diaphoretica.—In exemplis omnibus quibus inveniatur cutis ariditas et calor, sudorem lenem inducere optandum est; quod efficere usus copiosus potûs acidi plerumque sufficit. Si verò cutis sit humida et glutinosa, usus saluti est contrarius.

Corroborantia, et quæ putredini occurrunt.—Amovere vel corrigere morbi diathesin septicam, postquàm indicia phlogistica evanescunt, maximi est momenti. Hoc efficiendum est usu corroborantium et antiputrescentium. Ex his vinum et victus plenus sunt anteponenda; his autem non instantibus, supponere debemus cinchonam et liquores fermentatos vulgares. Ex illis exhibere debemus potiones acidis vegetabilibus vel mineralibus imbutas, poma, et gas acidum carbonicum in liquoribus fermentatis inclusum, et præcipuè in spumâ cerevisiæ. Hu-

jus

jus autem usu cavendum est nè inducat diarrhœam. Prævenit nauseæ, ventriculo potestatem cibi retinendi præbet, irritabilitatem auferendo morbidam, quâcum sæpè morbus stipatur.

Gargarismata.—Nausea et diarrhœa scarlatinam sæpiùs comitantes non raró oriuntur ex exuviis et colluviis deglutitis, quæ semper in gutture accumulantur. Ex hâc igitur optabile est fauces et pharyngem quamplurimùm purificare; et hujus efficiendi gratiâ, gargarismata permulta præscripta sunt. In exemplis mitioribus, quibus proponitur exuvias et colluvium abstergere, acetum vel vinum cum aquâ commistum sufficit. In acrioribus infusum capsici annui pro sensu partium præscriptum vehementèr laudatur a Dre MACBETH, *Demararæ*, et approbatur Dre CURRY. Dr BRAITHWAITE, *Lancastriensis*, acidum oxymuriaticum dilutum admodùm utile invenit: et hocce remedium non solùm in formâ gargarismatis administrabat, sed etiam ex internâ exhibitione

exhibitione effectus præstantissimos obtinebat.

Affusio frigida.—Hoc est remedium magni momenti: non desunt exempla ejus boni effectûs admodùm præclara et miranda. Quasdam regulas, ex usu clarissimi medici Doctoris Curry præscriptas, ponere, finibus dissertationis inauguralis solummodò licet. Scarlatinæ character unus est caloris gradus altissimus, qui morbum ineuntem comitatur. Summo præsenti caloris gradu, ægrotus humi nudus locandus est, et subitò toti corpori affundendi congii plurimi aquæ gelidissimæ; deindè, humore absterso, lecto tepido reponendus. Hic usus repetatur quandocunque corporis temperies salutis mensuram superat. Affusio frigida deciès vel duodeciès in scarlatinâ repetita fuit.

Notandum est, quod eventus eò felicior quò maturiùs adhibeatur. Si tempestiva sit, neque indicia contraria inveniuntur, aliquan-

dò

dò nullum remedium alterum quærere necesse est.

Indicia contraria sunt, permagna prior debilitas, indoles habitûs phthisica, gradus provectus morbi post indicia febrilia perfecta. In gradu provecto, et in magnâ debilitate, affusio tepida indicatur.

Restat solummodò quædam dicere de convalescentium curâ in scarlatinâ.

Postquàm æger videtur omninò convaluisse, debilitate et inertiâ lymphaticorum, adhùc hydropis accessioni est obnoxius, non rarò mortem inducenti. Hanc proclivitatem amovere, accuratissimè vigilare excretiones urinarias, alvinas, et cutaneas necesse est, quarum exitus facilis promovendus est catharticis mitioribus, præcipuè diaphoreticis, diureticis, et corporis exercitatione moderatâ. Cùm cutis arida et squamosa est, nil magìs

præest

præest quàm lavatio cum aquâ tepidâ et furfure. Crurum œdema superatur pressurâ et fasciis plicantibus, necnon usu digitalis. Si opus, victus roborans præscribatur.

Doctor Curry notat, quòd, usu affusionis frigidæ, curæ ejus subjecti œdema effugerunt.

FINIS.

partes [illegible] tegula [illegible] per-
sum. [illegible] imperatur [illegible]
fasces [illegible], necnon sua dignitas. Si
opus, [illegible] concludimus.

Denique CAESAR notat, quòd, qui [illegible]
frigidus, [illegible] subjecti [illegible] effuge-
rent.

FINIS.